



EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB.BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

Ec. 9.



FORMV


LAE QVAEDAM CAU-
TE ET CITRA SCAN-
dalum loquendi de precipuis
Christiane doctrine locis, pro
iunioribus Verbi Mini-
stris in Ducatu Lune-
burgensi.

VRBANORHEG. AVT.

1. Corint. 10.

*Tales estote, ut nullum praebeat
offendiculum Ecclesiae Dei.*

M. D. XLIII.



VRBANVS RHEGIVS SACRARVM
literarum Tyronibus in Ducatu Luneburgensi,
Euangelium Iesu Christi annunciantibus plenam Christi
cognitionem.



TSI in omni sermone uiro prudenti, nedum Christiano, summa cura cauendum est, ne lingua mentem anteuertat, ut citra ordinem quiduis effluat: in primis tamen Euangelij ministros acerrima diligentia, quæ in Ecclesia Dei locuturi sunt, obseruare, & quàm ordinatissime proferre oportet, ne quod offendiculum præbeant simplicibus. Arduissima enim, ut scripturæ testantur, prouincia est, terrore & periculis plena, in Ecclesia Dei uiuentis loqui, ubi proculdubio sedent filij Dei, quibus Angeli ministrant, Vbi ut in suo tabernaculo ipse Dominus Deus est præsens omnium inspector, spectantibus Angelis & cunctis creaturis, magna ueneratione uerbum Dei audientibus. Sic enim iubet credere pietas, Omnia summe reuereri, Verbū Dei, per quod facta sunt, præter hominem & diabolum, qui horribili ingratitude scelere obsurduerunt. Quod diuus Hieronymus intelligens uere dixit: Grande periculum est in Ecclesia loqui, ne forte interpre-

FORMULAE

tatione peruersa, de Euangelio Christi, fiat Euangelium hominis, aut quod peius est, diaboli. Huc spectant grauissimae admonitiones Apostoli. Quoties conuenitis (inquit, 1. Cor. 14.) omnia ad aedificationem fiant. Et ad Coloss. 4. Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus. Et 2. Timo. 2. Stude te ipsum probatum exhibere Deo, operarium non erubescendum, recte secantem sermonem ueritatis. Quid hic aliud Paulus docet, quam circumspectissime & religiosissime tractanda esse tremenda diuini uerbi mysteria? aut quemadmodum Ambrosius monet, ut opportuno & loco & tempore, magistra modestia, religionis uerba promantur. Nam si nostra incogitantia, nostrae fidei dogmata, aut uiciamus, aut mutila proferimus ad populum, nec recte secamus uerbum Dei, absque dubio poenas huius temeritatis grauissimas dabimus in die Domini, quando nostrae uillicationis ratio reddenda est supremo iudici. Quare ut iuniores & nondum satis exercitati tyrones Theologiae, omnia in docendo scandala euitare facilius queant, conscripsi uobis breuem quandam rationem caute loquendi de praecipuis Christianae doctrinae articulis, quam & ego inter concionandum obseruo, qui iam tot annos in plerisque Germaniae locis non sine acerbo animi dolore uidi, quam grauius offensa sit Christianorum simplicitas, indisposito illo, insulso & imprudenti dicendi

CAUTE LOQVENDI.

dicendi genere, cum nec quid dicant, nec quomodo aut apud quos dicant, satis animaduertunt scioli quidam improuidi, sola eruditionis opinione inflati. Sed proponam exempli gratia aliquot scandalosos sermones, quibus usi quidam subuertunt animos simplicium, & multos ab Euangelio deterrent. Vt cum quidam raro admodum de poenitentia concionantur, sed tantum de fide & remissione peccatorum, quasi credere Euangelio & remissionem peccatorum accipere possint impoenitentes, cum tamen Euangelium utrunque complectatur, poenitentiam & remissionem peccatorum, ut habes Luc. ult. Oportebat predicari in nomine Christi poenitentiam et remissionem peccatorum, incipiendo ab Hierosolyma usque in omnes gentes. Ecce ordinem quem Christus ponit. Primo poenitentia predicanda est, Et tum sequitur annunciatio remissionis peccatorum. Sunt qui satis urgent poenitentiam & lege conscientias uehementer terrent, sed easdem consolari Euangelio non possunt, igitur docent poenitentiam mutilam & mancam. Ego expertus sic sentio, pastorem qui locum de poenitentia ignorat, tam utilem esse ouili Christi, quam utilis est lupus caulis ouium. Similiter quidam, quoties de fide & operibus dogma firmum et clarum est proponendum populo, sic concionantur.

F O R M V L A E

Es ist nichts mit vnsern guten wer-
cken / sie sollen nichts / sie stincken für
Gott / Er wil jr nicht / sie machen eitel
gleichner / Es thüts alleyn der glaube /
Wenn du gleubest / so wirstu from̄ vnd
selig.

*Hæc excidunt quibusdam sine sale, nihil addūt,
sed truncatum dogma de fide & operibus effusiunt,
nō dilucidant hæc uerba sicut oportet, Quid igitur
mirum, si simplices hinc offenduntur, præsertim
illi, qui uix unam & alteram Euangelij concionem
audiuerunt? Existimant enim sic fidei omnia asscri-
bi, ut opera plane reijciantur & inutilia sint. Sta-
tim igitur cogitant, Concionator ille est perditus ne-
bulo, qui bona opera omnino damnat, quæ tamen
Christus præstitit, & ea à nobis exigit, & posthac
de nostra doctrina pessime sentire incipiunt.*

*Sunt qui simili imprudentia, cum de Missa lo-
quuntur, sine omni declaratione tantæ rei, tantum
sic nugantur.*

Die Mess ist ein grewel für Gott /
man sol vnd muß sie fliehen / bei verlies-
rung Ewiger seligkeit / Die Pfaffen
creuzigen Christum noch ein mal inn
der

CAVTE LOQVENDI.

der Mess / Die Mess ist keyn opffer
vberal / Es ist des Papsts lere vñ fünd
lin. Bei disen Worten lassen sie es blei-
ben vnd stecken / on alle weitere erklä-
rung.

*Cum hic nihil aliud simplex audit, quàm hæc uer-
ba, quæ tantum destruunt, non autem ædificant, quid
aliud cogitabit, quàm hoc totum quod in Missa agi-
tur, nullius esse momenti? Quare deinceps etiam
coenam Domini negligit, quasi rem non necessariam,
cuius impiæ negligentiae autores sunt illi insulsi &
audaculi homines, qui nesciunt abusum rei, longe &
late distinguere à re ipsa, sed propter abusum in re,
etiam rem ipsam abiiciunt, per similes ijs, qui precio-
sa margarita in luto inuenta, eam mox propter lutum
adherens, tanquam inutilem penitus abiiciunt, nec
margaritam à luto emundant & seruant. Hic
caute agendum est, & coena Domini accurate est se-
paranda ab ijs inuentionibus, quas uel superstitio
uel auaritia Papistarum addidit Coenæ, ut clare popu-
lus intelligat, nos tantum damnare additamenta ho-
minum, quæ contra fidem pugnant, non autem dam-
nare Missam Christi & Apostolorum, hoc est, coenam*

FORMVLAE

Domini uel uenerabilissimum Sacramentum altaris.

Quidā dum de lege diuina eiusq; officio apud plebem, doctrinam Pauli docere conantur, non erubescunt sic docere.

Die Zehen gebot sind vns nicht gegeben worden / Das wir sie halten sollen.

Hic sermonem abrumpunt & aliò properant, ubi maxime opus esset, prolixius & clarius ostendere, cur data sit Lex, cum tamen peccatorem non possit iustificare. Certe qui talia audiunt, nisi Paulum exacte intelligant, non possunt non offendi. Statim enim cogitant, in meditatione aut exercitio Legis ac bonorum operum non esse uersandum, & porrò licere ut furemur, adulteria perpetremus & cædes, tam impia enim uoces publice audiuntur ab eis, post audientas tam insulsas conciones.

De Libero arbitrio item sine iudicio & inepte quidam sic garriunt apud populum.

Wir haben keynen freien willen vberal / was wir thun / Das müssen wir thun.

Hic nihil addunt, quo sermo ille mitigetur, & relinquunt aculeos in mentibus rudium, qui statim cogitant: Si omnia facio coacte & nihil libere, quomodo differo

CAVTE LOQVENDI.

differo à bestijs, quomodo possum cauere peccata? Si igitur coactus pecco, cur accusor transgressionis? Et ita præbent illi imprudentes homines occasione uulgo, ut Deum putet esse authorem peccatorum, quod est blasphemum. Deus enim non est autor peccati, sed suam uoluntatem nobis per Legem reuelauit, nempe quòd odit peccatum, quippe quod ipse tanta austeritate prohibet & punit temporaliter & aternaliter.

Similiter de arduo prædestinationis Articulo, nulla simplicium ratione habita, supra modum scandalose quidam loquuntur, cum sermonem moderari & intra septa Paulinæ doctrinæ manere possent. Nam hæc interdum eorum uerba sunt.

Distu von Gott zur seligkeit versehen / so kanstu nicht verdampft werden / Du thuest was du wollest / böß oder gütts.

Hic auditores aut effrenes fiunt & omnium legum contemptores, aut desperant, sicque blasphemant.

Was wolt ich mich vil mit fasten / betten / allmüßen geben / meinem nehesten verzeihen / vnd dergleichen güttern wercken beladen vnd martern / Unser

FORMVLAE

Pfarherz spricht / es helffe mich nichts /
 Ich wil ein gut gefelle sein / vñ nichts
 sorgen / Bin ich versehen / so werde ich
 selig / Bin ich nicht versehen / so fare
 ich hin mit dem grossen hauffen / Ich
 thū gleich was ich wolle / so gilts gleich
 viel.

*Sic ratio humana certissime blasphematur, quoties
 audit talem nugatorem, qui tam illoto ore, tam indig-
 no sermone, de sacrosancto illo Electionis mysterio
 blaterat.*

Neyn es gilt nicht gleich viel / was
 du thuest / Denn wir sehen das Chris-
 tus Matth. 25. spricht / Kompt jr ge-
 benedeiten meines Vatters / besizet
 das Reich / welchs euch von anbegin-
 der Welt bereyt ist / Mich hat gehun-
 gert / vnd jr habt mir zu essen geben 2c.
 Hie hörestu / Wer güts thut / der wirdt
 selig / Wer böses thut / vnd drinn ver-
 harret / der wirdt verdampft.

*Idem accidit in articulo de Christiana libertate,
 quæ indocti tā ignorāter & impie tractant, ut rudes
 opinentur.*

C A V T E L O Q V E N D I .

opinientur, Christianos nemini quicquam debere, liberos esse ab omnibus legibus, & non subiectos Magistratibus, sylvas, agros, vineas, lacus, prædia & villas, omnia denique esse communia omnibus, non esse persoluendas decimas, aut dandos redditus. Breuiter, quiduis licere quibuslibet. Ex ignorantia huius articuli ortum est bellum Agricolarum, Anno Domini 1525. in quo occisa sunt centum milia virorum, in Sueuia, Franconia, Turingia, & Alsatia. Ego noui quendam Magistrum Parisiensem, qui hoc modo patrocinebatur rustico Lindoiæ coram Abbattissa, cui rusticus erat seruus ad onera seruitutis ciuilibus obnoxius. Eia generosa domina, non licet uobis pauperes habere tali seruitute pressos, à quibus hæc omnia exigatis, quia Christus nos redemit & liberauit suo sanguine. Ecce senex ille Magister, & 40. annorum prædicator, nondum intellexit libertatem quam habemus in Christo, & politicum mundi regnum, ac spirituale Christi regnum inepte cõfudit. Egregius scilicet honor, quem Christo tribuit, quod nos ab oneribus ciuilibus liberarit, & libertatem carnalem contulerit, de peccatis & Iustificatione nihil intellexit aut docuit, suũ referens Gymnasiũ, quod in hũc usque diẽ seruit Antichristo. Expertus loquor. Tales cõciones stolidæ, impiæ & seditiosæ de libertate Christiana multos uiros ingenio et eruditiõne cõspi

FORMVLAE

euos, ab Euangelio deterruerunt. Cum enim audirēt hos sciolos Euangelium iactare, & tam horrendis erroribus prætexere, mox doctrinam Euangelij habebāt suspectam, cum illi fanatici non Euangelium Christi, sed sua somnia adferant. Euangelium enim non tollit Magistratum & ordinationes ciuiles, sed confirmat. Hinc etiam perperam de Magistratu ciuili sunt locuti, functionem Magistratum non commendauerunt tanquam bonum & necessarium opus, sed uelut tyrannidem & uiolentiam perstrinxerunt.

Porro quidam audiuerunt Christianos à Deo doctos esse, & statim patrocinantur ignauiae suae, omnemq; eruditionem liberalem uelut inutilem contemnunt, cristas erigunt & de se omnia pollicentur. Quisq; est indoctior, eo magis gloriatur de spiritu, quasi uero spiritus sanctus sua dona, eruditionem & scientiam horreat. Hic error efficit, ut etiam rustici & artifices irrumpant ad officium prædicandi, iactantes nihil opus esse studijs literarum, quia omnes simus à Deo docti, cumq; scripturas sine spiritu Prophetiae tractent, infinitos errores pariunt, Doctores Ecclesiae ueteres contemnunt, quasi iam soli sapiant indocti. Et bona illorum pars sic despiciunt scholas puerorum, ut iam scholæ iaceant neglectæ, quæ negligentia uehementer placet Diabolo, sed summe displicet Deo. Obsecro ubi post 20. annos Ecclesiae uocabunt

CAUTE LOQUENDI

bunt Ministros uerbi? Vnde Respublicæ & Princē
cipes accersent Iurium consultos? Nonne homines si
ne literis obbrutescent, et redibit in Germaniam pris
ca barbaries, qua fiet, ut rursus præda efficiamur om
nium impostorum. Nam quod Antichristum & Ro
manas imposturas, nostramq; in Domino libertatem
nouimus, Deus per linguarum & syncerioris Theolo
giæ studium in nobis operatus est.

Nec De Satisfactione satis caute quidam loquan
tur, unde rudis populus existimat se à bonorum ope
rum exercitio & crucis tolerantia plane absolui.

De uirginitate, quæ certe suas in scripturis laudes
habet, ita contemptim loquuntur quidam, ut multa
simplicium corda uerbis impudicis uulnerent, ubiq;
uel ad dexteram uel ad sinistram declinantes. Nus
quam in uia regia consistunt. Coniugium proculdubio
summis laudibus uehendum est, sed circa contumeliã
uirginitatis.

Et audio esse qui Confessionem parui pendant,
nec suas oues diligenter in confessione examineant, &
Catechismum exigant, deniq; multos confitentes
simul instruant & absoluant, quæ omnia non ædifi
cant, sed destruunt Ecclesias Christi.

Similiter de humanis traditionibus nonnulli infla
pienter apud populum garrunt.

FORMVLAE

Man muß alle menschen sakung
fliehen/sie sind auß dem Teuffel/ man
ist inen feyn gehorsam schuldig/das ist
ergerlich vnd vbel von der sach geredt.

*Hic diligenter docere debebant, quæ traditio-
nes dicerentur humanae, & quotuplices essent, quæ
obseruandæ, & quæ reiiciendæ essent, sed tantum
in genere omnes sine ullo discrimine damnant. Vbi
proculdubio rude uulgus putat omnia legum uincula
iam soluta esse, & se nihil omnino seruare debere eo-
rum quæ homines præcipiunt.*

De ieiunio non dissimiliter ineptiunt.

Man darff der Fasten nicht / man
kan feyne sünde mit büßen oder gnüg
thun/ Die Fasten ist des bapsts fündle.

*Et plerunque hic abrumpunt sermonem. Cum
autem caro nostra suapte natura fugiat crucem &
abstinentiam, & quærat uoluptates, necesse est ex
talibus concionibus infinita mala sequi. Videmus
quod egregie homines contemnunt ieiunia, quasi
nihil omnino profint, & laxatis gulæ frenis, in om-
nem intemperantiam prolabuntur. Certe hic iu-
dex supremus sanguinẽ eorũ, qui his stultis concio-
nibus*

CAUTE LOQVENDI.

nibus pereunt, exiget de manibus Concionatorum, sicut minatur Ezechielis ca. 33.

Quid de oratione dicam? Hic quidam nihil aliud in ore habet, plerumque cum in hunc locum inciderint, quam hæc Tragica uerba.

Ziel betten vnnnd flappern ist ein Heydnisch irthum vnnnd gleißneren/ Gott hat gar kein gefallen darab/ Da brechen sie aber die rede zu furk ab.

Hic similiter immorandum est, & ordine dicenda quæ ad orationem pertinent, ne homines à tam necessario pietatis exercitio stolidis uociferatiõibus abstrahantur.

De Sanctorum inuocatione tam scurriliter loquuntur quidam, ut pia corda non possint non uebementer offendi, tam prophanis uocibus, cum tamen de Sanctis summa cum reuerentia loqui deceat. Sed Satan per impiam hanc scurrilitatem conatur hunc fidei articulum, Ecclesia catholica, Sanctorum communio, contemptum reddere, ut parum, uel nihil curemus Sanctorum communionem.

De Imaginibus in Ecclesia similes passim neniunt à quibusdam audiuntur, qui libertatem Christianam plane ignorant.

FORMVLAE.

De festis item diebus fanaticas spargunt opinio-
nes, quibus populus ab audiendo uerbo Dei & per-
ceptione Sacramenti auocatur.

Neq; ut oportet de Cæremonijs concionantur, au-
ditur in plerisq; locis hæc uox tantum.

Es ist ein vergeblich ding mit den
Ceremonien/ sie sollen nichts/ Was
bedarff mann inn der Kirchen beson-
derer kleyder/ Es ist eytel vnnütz mens-
schen tand.

O stolidos homines, quasi uero hæc uita carere pos-
sit cæremonijs. Prudenter igitur debebant discerne-
re cæremonias impias ab indifferentibus. Et quæ
ordini rerum in Ecclesia gerendarum seruiunt, eas
cum decore seruare debebant, non temere abijcere.
Nam semper magnas turbas & dissensiones in Eccle-
sia peperit cæremoniarum receptarum mutatio.

Satan Sadducæorum & Origenistarum, quos-
dam etiam sic uexat, ut nimis irreuerenter loquan-
tur de Sepultura & Cœmeterijs Christianorum, quæ
stoliditate non parum eneruât fidem Resurrectionis,
cum tamen pia mens non possit secus quàm honorifi-
ce, de sepultura loqui, & quæ ad eam pertinent reue-
renter tractare, propter certam spem gloriose resur-
rectionis, quæ est unica consolatio nostra, nec pati-
tur ut

CAVTE LOQVENDI.

tur, ut ea corpora citra omnem curam abijciamus, quæ glorioso Christi corpori conformanda esse in nouissimo die, ex uerbo Dei nouit.

Sed quis omnes ineptias enumerauerit? Ego ne qua diligentia in me desiderari possit, breues quasdam loquendi formulas præscripsi, quibus & ipse uti soleo, quoties de infra scriptis locis mihi coram Ecclesia concionandum est. Has, charissimi fratres, semper in promptu habere ualde proderit, ne offendamus simplices.

Pœnitentia.

Fides.

2 Opera.

Merita.

2 Missa.

3 Lex.

4 Liberum arbitrium.

5 Prædestinatio.

6 Libertas Christiana.

7 Magistratus.

8 Omnes à Deo docti.

9 Satisfactio.

10 Virginitas.

11 Confessio.

12 Traditiones humane.

13 Ieiunium.

B

FORMVLAE

- 14 Oratio.
- 15 Sanctorum inuocatio.
- 16 Imagines.
- 17 Festa.
- 18 Cæremonie.
- 19 Sepultura.

DE POENITENTIA QVOMODO
caute loquendum.

SVNT qui hoc loco quidem aliquid dicunt, sed non ut, & quantum oportet, Nam uulgatam illam descriptionem ex Magistro sententiarum inculcant. Pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Sed hinc neq; origo & causa efficiens pœnitentiæ, neq; eius uera ratio aut partes cerni possunt. Nōne Iscariothes Mat. 27. serio planxit, & confessus est peccatum suum, q̄ innocentē sanguinem prodidisset, idq; tanta contritione, ut mox se suspenderet, nec posthac quenquam prodidit? sed erat inutilis pœnitentia. Euangelium igitur docet ueram pœnitentiam, quæ est, Ex animo dolere de peccatis perpetratis, uere terreri iudicio Dei, ut cor fiat contritum & humiliatum. Et simul firmiter credere, omnia peccata, quanta cunque sint, à Deo nobis remitti propter merita Christi, qui peccata nostra ipse portauit in corpore

Pœnitentia
uera quid?

CAVTE LOQVENDI.

pore suo, super lignum crucis.

Ordo igitur in poenitentiae partibus ille est Pri-
mo, cognitio uera peccatorum nostrorum lege re-
cte predicata fit per spiritum sanctum in nobis,
reu vnd leyd. Secundo, cognitio gratiae Dei in
Christo, nobis donatur per Euangelij praedicationem
sinceram, aut fides in Christum, Ein ver-
trauen auff Gottes gnad. Exempli gratia.

Primo audis decem praeccepta, in quibus statim dis-
cis, quam enormiter sis transgressus legem Dei, et
in aeternum damnandus iusto Dei iudicio. Mox
audis uocem Euangelij, hanc uel similem. Iesus Chri-
stus uenit in hunc mundum, non ut condemnet mun-
dum, sed ut peccatores saluos faciat. Si hic Christum
fide apprehendis, ut tuum, unicum Iustificatorem
et Saluatorem, qui non solum peccata Petri et
Pauli, sed etiam tua delet, iam recrearis, et uere
agnoscis Dei gratiam, habesque poenitentiam ueram,
quam proculdubio sequentur fructus poenitentia dig-
ni, id est, uitae emendatio et bona opera.

Hunc ordinem Euangelistae docent in poenitentia
uera, Mar. cap. 1. Resipiscite et credite Euangelio. Haec
est concio magni illius praecursoris, quasi dicat. An-
te omnia agnoscite uestra peccata, odio habete, et fu-
gite ea, reuertimini a uijs malis, Et credite peccata uo-
bis remitti propter Christum Iesum, sicut Euangelium uo-

Contritio.

Fides.

Exemplum.

Ioan. 3.

1. Tim. 1.

Nota obia.

FORMULAE

bis annunciat remissionem peccatorum in nomine Iesu Christi. Hic primo habes contritionem, timorem Dei, primam poenitentiae partem. Secundo habes fidem Euangelij, secundam poenitentiae partem, quam Iudas non habuit, ideo desperavit, quia falsam poenitentiam habuit.

Vides etiam hic, fidem in homine ueram non esse, nisi antea sit in eo poenitentia uel contritio. Quomodo enim in Iustificatorem Christum ille crederet, uel eum desideraret, qui propria iniusticiam uel ignorat, uel non curat? Accipe exemplum, Qui capitaliter aegrotat, & tamen uel ignorat uel non curat morbum suum, ille etiam medicum & medicinam negligit & contemnit. Peccatum est morbus capitalis, Peccator est aegrotus, Christus est medicus, Gratia Christi est medicina. Ergo illam gratiam promissam & oblatam in Euangelio non desiderant obstinati peccatores, qui non dolent de ullis peccatis, sed gloriantur: uel Iusticiarij hypocritae, qui se putant iustos sine gratia Christi. Sed peccatores qui agnoscunt sua peccata, & terrentur horrendo Dei iudicio, sentiunt in conscientia iram Dei, quod aeternam mortem commeruerunt, ij magno desiderio suspirant gratiam Christi. Illis una absolutio a peccatis ex Euangelio prolata, gratior est omnibus diuitijs & bonis totius mundi. Ideo Christus dicit Matth. 11. Pauperes euangelizan

CAVTE LOQVENDI.

gelizantur, id est, qui habent perturbatas & anxias conscientias propter peccatum, & corda contrita & humiliata, sunt idonei auditores Euangelij, quia Euangelium annunciat eis remissionem peccatorum, per Christum. ipsi autem autem nihil ardentius desiderant, quam remissionem peccatorum, ut iustificentur. Et Matth. 9. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam.

Vel breuius ad hunc modum.

Erkenne / berew vnd bekenne deine sünde von herzen / Glaube aber auch dabei / das Jesus Christus Gottes vnermasger Lamb auch diese deine sünde getragen vnd gebüßet habe / Bezeuge auch deine innwendige Büsse mit besserung deines ganken lebens / das ist die rechte Euangelische büsse. New vnd leynd one glauben hilfft nicht. Glaub one rew vnd leynd / ist kein rechter Christlicher glaub / New vnd glaub müssen bei einander sein / Darumb merck's vleissig / fromer Christ / welcher mensch nicht zum ersten sein eygen manigfaltig sünde / vnd daneben auch die

Die ware
Büsse.

F O R M V L A E

lautern gnade Gottes inn Christo vnserm Herrn warhafftiglich one gleißnereney kennet vnnnd gleubet / Der stecket warlich noch inn seinen sünden vnnnd vnbüßfertigkeit / vnnnd ist keyn Christ / wenn er schon sonst vil vom Euangelio reden vnd schreiben kan.

Die einfeltigen hören jekt zu dieser zeit vil predigt vom glauben / Aber an etlichen ortten allzu wenig vonn der Büsse / vnd lassen sich also düncken / sie gleuben recht / so doch inn der warheit niemand recht gleubet / er habe denn auch zuuor rew vber seine sünde.

CAVTA LOQVENDI FORMVLA
de Fide, Operibus &
Meritis.

Fides. **C** Vm pastor etiam in alio scripturae loco uersatur, subinde tamen, ut fit, in fidei & operum mentionem incidit, ubi cauere debet, ne hoc conciso tantum sermone utatur, Sola fides iustificat, nostra opera nihil sunt, & mox ad alia properet, Sed ad hunc modum loquatur.

sola

CAUTE LOQVENDI.

Sola quidem fides iustificat peccatorem, hoc est, fiducia misericordiae Dei in Christo promissae, uel sola Dei misericordia, Sed fides non manet sola. Vera enim fides per charitatem operatur, Galat. 5. Sicut arbor bona fructus profert, ita fides profert bona opera, quae fidem certissime comitantur.

Vbi nulla cernitur uitae emendatio, nullus Dei timor, aut poenitentia, & ubi nulla sunt bona opera, ibi certe nulla est fides, uel tantum ficta fides.

Qui adhuc carnaliter uiuit in ebrietate, commessatione, scortatione, adulterio, furto & similibus peccatis, non debet gloriari, quod fidem habeat & Christianus sit, sed reuertatur à malo, & faciat bonum. Exemplum uerae fidei habes in Abraham, qui uere credidit diuinae promissioni, quae fides magna & mirabilia operabatur. Obediuit uerbo Dei, reliquit patriam, iuit in exilium, propriumque filium immolare uoluit. Exemplum fictae fidei in Cain & Iuda, Cain offerebat, sed cor non erat rectum cum Deo, Opus eius est homicidium. Iudas erat inter Apostolos, putabatur Christi fidelis, sed opus eius erat proditio Christi.

Ordo inter fidem et Opera in iustificatione talis est. Primo concipitur fides ex Euangelio, quae iustificat me, id est, ex impio pium facit. Ego iustificatus facio bona opera. Bona arbor praecedit bonum fructum. Exemplum in Paulo. Paulus ante conuersionem aut iustifica-

FORMVLAE

tionem erat malus, Ergo mala erant omnia eius ope-
ra, qualis arbor, talis fructus. Post conuersionem
erat iustus, mox ergo bonus factus, bona opera fe-
cit, prædicauit Christum, propter cuius nomen per-
secutiões, oĩa mala, tandē & mortem perpeffus est.

*Duplicia ope-
ra.* Scriptura duplicia opera docet. Opera Christi
& nostra. Sed inter hæc maior est differentia, quàm
inter cœlum & terram. Quia opera Christi merue-
runt nobis æternam iusticiam, uitam & salutem, &
iustificāt nos, quando ea per fidem apprehendimus,
Ipse enim solus est noster redemptor, propiciator, me-
diator, iustificator & saluator, & nullus alius, ne an-
gelus quidem, ut omnes scripturæ testantur.

Sed opera nostra non merentur nobis res il-
las immensas & æternas, nec iustificant nos. Sunt
autem omnino necessaria, quia suum officiū habent.

*Officia bono-
rum operum.* 1 Sunt debitum obsequium & præceptum à Deo,
quod nos creaturæ creatori debemus, sunt uelut gra-
tiarum actio pro beneficijs Dei, & sacrificia Deo gra-
ta propter personam Christi fidelem.

2 Pater noster cœlestis per hæc in nobis glorifica-
tur, Matth. 5.

3 Operibus bonis fides nostra exercetur & promo-
uetur, ut crescat & uegetetur.

4 Opera bona sunt testimonia nostræ fidei erga pro-
ximum, quibus proximus edificatur, & ad imitandū
prouocatur

CAVTE LOQVENDI.

prouocatur, & in suis necessitatibus iuuatur.

5 Per bona opera mihi mea uocatio certa fit: Cū enim amo proximū & beneficijs orno, experior meam fidem nō esse fictam, & me esse Christianum.

6 Bona opera nostra, etiamsi immensos illos thesauros, Remissionem peccatorum, iustificationem, liberationem à morte & Diabolo, non mereantur, hoc enim solus facit Christus Iesus, tamen ex gratuita promissione diuina merentur præmia corporalia & spiritalia, & in hac uita & post hanc uitam, Non quòd Deus nobis aliquid debeat, sed quia promisit ex misericordia & uerax est. Ideo reddet nobis ea propter nomen suū gloriosum, quemadmodū scriptum est, Iere. 17. Ego Dominus scrutans cor & probās renes, qui do unicuiq; iuxta uia suā & iuxta fructū ad inuentiōnū suarū. Matth. 16. Futurum est, ut filius hoīs ueniat cū gloria patris sui, cū angelis suis, & tūc reddet unicuiq; iuxta facta ipsius, idē Rom. 2. Mat. 25. satis ostendit Christus, q̄ sint sibi grata opera bona ex fide facta. Nam dicit, Esuriui & dedistis mihi bibere.

Dicam hoc etiam Germanice, quo facilius à uobis omnibus intelligatur.

Die Schrifft redet allenthalben herzlich vñ löblich von guten wercken/ vnd gedencet irer nimmer vbel/ Darumb wenn mann spricht / Alleyn der

F O R M V L A E

glaub macht from̄ / so verwirfft man
 nicht die guten wercke / Denn es ist so
 viel geredt / als so ich sprich / Alleyn
 Gottes gnade inn Christo machet vns
 from̄ vnd selig / vnser wirdigkeit th̄uts
 nicht / Denn kein Creatur / weder im
 Him̄el noch auff Erden / vermag solch
 groß vberschwenglich ding / als ver-
 dienen ablas der s̄nde / from̄ vnd selig
 machen / s̄nde vnd tod vertilgen / Al-
 leyn vnser eyniger mitler Ihesus Chri-
 stus kan vnd sol solchs th̄un / Den̄ der
 Vatter hat in alleyn / vnd sonst nie-
 mandt / weder Engel noch menschen
 zur erlösung vnd fromm̄machung des
 menschen geschlechts verordnet vnd ge-
 sandt. Derhalb / wenn man den glau-
 ben rh̄met / so schm̄het man die werck
 nicht / sondern man rh̄met den rech-
 ten brunnen / darauff alle ḡtte werck
 quellen / Es ist vnm̄glich on den glau-
 ben ḡtte werck th̄un.

Das mann aber so mit vleissigem
 vnterscheid

CAVTE LOQVENDI.

vnterscheyd vom glauben vnnnd gütten
wercken redet / vnnnd einem jeden sein
ampt zülegt / Das thüt mann darumb /
das mann klar sehen mag / was Chri-
stus sei / vnnnd wie wir alles güts von
Gott alleyn vmb Christus willen ha-
ben vnnnd empfangen / Vnd was wir
von vns selbs haben vnd thün / Solche
erkentnis machet allein auß einem ver-
dampten sündler einen seligē Christen.
Darumb ist viel mehr dran gelegen /
das mann recht vnterschiedlich vom
glauben vnd gütten wercken rede / den
die Welt meynet / Der glaube macht
vns from̄ für Gott.

Die gütten wercke bezeugen aber
solche innwendige frömißkeit / vnn
aussen für vnserm nehesten / welchem
sie dienen sollen / zur besserung / inn al-
len nöten.

Glaube ohne güte werck ist keyn
glaub / Wercke ohne glauben sind nicht
güte werck / Darumb müssen dise zwey

FORMVLAE

Ding/gleuben vnd gute werck thun/bei
 einander sein/die weil wir leben/ Wer
 sein leben nit bessert / vnd gütte werck
 thut/ der sol wissen/ das er feyn Christ
 ist/der wird verdampft/Darnach mag
 sich ein jederman richten / Gott hats
 also beschlossen / also wirdt ers auch
 endlich vollstrecken/ das ist gewiß.

QVOMODO CAUTE LOQVEN
 dum de Missa.

Missa ut in Papatu celebrata est, fuit abomina
 tio propter horribiles abusus & errores,
 quos homines addiderunt Missæ Christi
 & Apostolorum. Nos quæ mala sunt, reiecimus, bo
 na retinuimus. Nam Verbum & ordinatio Dei non
 debent ab hominibus mutari, multo minus debet ali
 quid contra uerbum & institutionem Dei in Ecclesia
 pro cultu Dei erigi.

Additiones
 Missæ Papi
 sticæ.

Male addiderunt, quòd Missa sit tale sacrificium,
 quòd filius Dei quotidie offeratur patri pro pecca
 tis uiuorum & mortuorum. Scriptura docet, quòd
 Christus semel mortuus sit & resurrexerit, & am
 plius non moriatur, semel enim semetipsum obtulit
 Deo patri pro nobis oblationem & uictimam in odo
 rem bonæ fragrantie, ut Apostolus docet Ephe. 5.
 Hebræ.

CAVTE LOQVENDI.

Hebre. 7. 9. 10. Hoc sacrificium non potest nec debet reiterari, sed semel factum sufficit in æternum. Christus autem iussit nos memoriam celebrare huius unici sacrificij, usq; ad diem nouissimum. Et qui credunt Euangelio de Christo mortuo & resuscitato, & Christi sacramenta percipiunt, fiunt huius sacrificij participes, nam consequuntur remissionem peccatorum & uitam æternam. Hi omnes debent quotidie offerre Deo sacrificia, quæ sunt, cor contritum & humiliatum, Laus diuini nominis, Gratiarum actio, Inuocatio, Crux pro nomine Christi, & fructus fidei bona opera.

Ex illo errore de sacrificio pro peccatis Missali, ortæ sunt Missæ priuatæ, quæ celebratæ sunt absque numero in mundo sine communicantibus, contra uerbum Christi, & primitiuæ Ecclesiæ ritum. Quid enim tam cõtrarium rationi cœnæ dominicæ, quàm nouo sacrificio aut opere uelle mereri remissionem peccatorum, cum cœna dominica sit commemoratio illius mortis, quæ est unicum sacrificium, quo solo potuit & debuit omnis culpa expiari? Et additamenta sua docuerunt esse necessaria ad uerã Missam, sed errant.

Nos propter simplices, & ut omnia decenter & secundum ordinem in Ecclesia fiant, iuxta regulam Pauli. 1. Corin. 14. libenter seruamus, citra superstitionem, uestes Ecclesiasticas, & alia quæ non sunt cõtra uerbum Dei,

FORMULAE

Vera missa.

Missæ Christi & Apostolorum est peractio cœnæ Domini in Ecclesia, quando iuxta institutionem Christi & ritum Apostolorum edimus corpus Domini, & sanguinem eius bibimus in commemorationem Christi, annunciantes saluificam mortem Domini, donec uenerit, id est, usq; ad diem iudicij extremi. Hæc est memoria mirabilium Christi operum, ut Psal. 110. uocat, quòd unus ipse pro nobis omnibus mortuus fuit, ergo nos omnes mortui eramus. Et resurrexit à mortuis secundum scripturas, nostris hostibus, peccato, morte, & Satana deuictis, nuncque in dextera Patris regnat in sempiternum, & nos cum eo regnabimus. Nonne omnes creaturæ in æternum non possunt satis admirari & celebrare magnificentissima hæc Christi redemptoris nostri unici opera, quòd ipse peccata nostra, suo proprio sanguine deleuit, mortem sua morte absorpsit, Satanamque triumphauit in SEMETIPSO Coloss. 2. Et iam impletur uaticinium Psalmi. 110 Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamētum suū. Nam gloriosissimam hanc uictoriam in nostros hostes Deus nobis dedit per Dominum nostrum Iesum Christum, 1. Corin. 15.

Vel breuius ad hunc modum:

Die heilige Schrift sagt allein von
einem

C A V T E L O Q V E N D I.

Einem eynigen sündopffer/ das ist das
besonder grosse opffer/das Gottes son
Jesus Christus sich selbs am Creuz
ein mal dem Vatter für vns auffge-
opffert / vnnnd den bitteren tod gelitten
hat/vnnnd damit alle vnser sünde auff
ein mal bezalt/ vnnnd vnns Gott dem
Vatter widerumb versönet hat / Wer
das gleubet/ der wirdt from̄ vnd selig/
denn er wirdt gewißlich sein leben bes-
sern/ vnd hinfurt Christlich leben/ die
weil er gleubet / das eyn solche ernst-
liche/ vberthwere bezalung vnnnd büsse
hat für seine sünde geschehen müssen/
das Gottes Sun selbs in eygener per-
son sich vmb vnser sünde willen hat
tödtet lassen.

Darumb ist ein greuel für Gott/
das sich die sündigen menschen vnter-
standen mit teglichem Messopffer erst
jekt vnser sünde zu bezalen/ vnnnd vns
Gott zu versönen. Die Christenheit
hat ja auch ire opffer als wol als vor

FORMVLAE

zeiten die Synagog der Jüden/ vnd vil besser/ Aber vnser einige sünde vnd schuldopffer/ ist niemandt denn Christus selbst/ der von keyner sünde wuste/ Aber der Vatter hat in für vns zu ey-nem sündopffer gemacht/ spricht Pau-lus/ 2. Corint. 5. auff das wir wurden inn im die gerechtigkeit/ die für Gott gilt/ das ist/ das wir durch ihn geheili-get vnd gerechtfertiget würden / nicht durch vnser werck.

Vber das sündopffer / opffert die Christenheit auch jetzt/ biß an Jüng-sten tag/ danckopffer für die erlösung inn Christo/ vnd für alle güter Got-tes / also opffern wir teglich ein zer-knirß demütig herk/ lob vñ danck / vnd alles was wir güts wircken vnser leben lang/ auß reynem glauben/ Daneben aber hat vnns Christus eingesezt mit ernst zu begehen die tröstlichen gedech-tnis seines todes oder eynigen opffers am Creuz ein mal volbracht/ das ist/
sein

CAVTE LOQVENDI.

sein heiliges Nachtmal / das hochwirdige Sacrament seines leibs vñ blüts.

QVOMODO CAVTE LOQVENDUM de Lege uel Decalogo.

Legem diuinam seruare quidem exactissime debemus, ut ne iota aut apex præteriret. Est enim sanctissima uoluntas Dei, & summa pietas. Et nisi lex seruetur, non est speranda salus æterna.

Cæterum nostra natura peccato originali, quod in carnali natiuitate ex Adam in nos transfunditur, ita corrupta est, fracta & excæcata, ut mandata Dei ex se aut proprijs uiribus non intelligat, & aduersus ea naturali inclinatione concupiscat, eoq; suapte ui nunquam impleat. Ita enim Moses nostram naturam nondum ex aqua & spiritu renatam describit Gene. 6. Omne figmentum cogitationum cordis humani, duntaxat malum est omnibus diebus, quomodo igitur bonum faceret? Lex igitur sancta est, præceptum sanctum, iustum, ac bonum est, Rom. 7. Sed nos sumus mali ex utero matris, & tamen a deo cæci cæcitate spiritali nascimur, ut nostram propriam malitiam non intelligamus, & ideo nullum remedium

C

FORMVLÆ

aut auxilium quærimus, sicque in æternum periremus.

• Igitur misericors Deus dedit etiam legem scriptam, ut ipsa nos argueret de peccatis, minaretur pœnas, iudicium Dei proponeret, terreret, & nos in nostri cognitionem duceret, ut propria malitia & perditione cognita, quæramus gratiam & auxilium. Ita Apostolus dicit. Lex est agnitio peccati, non dicit abolitio, quia tantum manifestat nostrum peccatum et Dei iram, sed peccatum non tollit. Data est igitur Lex, ut superbum hominem humiliaret, & ut humiliatus gratiam quæreret & medicinam.

Sed nullum est remedium, nulla Dei gratia, nisi in Christo Iesu, qui est mediator noster inter Deum & hominem. Ideo compellit Lex peccatores confugere ad medicum Christum, qui legem impleuit, & illam impletionem donat nobis. Sicut Paulus dicit. 1. Cor. 1. Christus est iusticia nostra. Et Rom. 10. Christus est legis perfectio ad iusticiam omni credenti.

Deinde meruit etiam nobis spiritum sanctum, qui nobis datur in Baptismate, & cum audimus Euangelium gratiæ Dei, per quem incipimus in nobis etiam legem implere, & habemus magnum priuilegium in Christo. Carnales enim ex parte sumus, cum caro spiritui semper repugnet: & caro impedit impletionem legis, Sed propter Christum in quem credimus,

Rom 7.
Galat. 5.

CAVTE LOQVENDI.

dimus, Deus nobis ignoscit reliquum peccatum in carne, & non imputat nobis ad damnationem eternam, displicet nobis illud peccatum, & uellemus illud fermentū ueteris malitiæ omnino esse expurgatū, quod plene fiet in regeneratione in nouissimo die.

Vel breuius sic.

Die gebot Gottes sind vns Adams kindern zu hoch / wir sind empfangen inn der erbsünde / vnd derhalb arme geborne sündler von jugent auff böse / wir sollens halten / aber wir könnens one die gnade Christi nicht halten / Was vns vnmüglich / das ist Gott müglich / Darumb hat sie vns Gott auß gnedigem willen gegeben / das wir inn den gebotten / als inn einem klaren spiegel / vnser sündige verstörte natur / vnser gebrechen / sünde / vnd Göttlich vrtail lernen erkennen / demütig werden / vnd Christum suchen / der alleyn vnd sonst niemandt hat die gebott rein auffß volkomeneß erfüllet / solcher erfüllung ge

C. 2

F O R M V L A E

niessen wir für Gott/weiß wir in Christi
 stum glauben/vnd Christus alleyn gibet
 vns seinen geyst durch sein wort / das
 wir auch verstand/willen vnd krafft
 kriegen/Gottes gebot zu halten/ Aber
 die erfüllung gehet noch schwach zu/
 die weil wir leben/denn das fleisch hat
 feyn lust zu Gottes gebotten/Aber den
 vorteil haben wir / so wir im Christli-
 chen glauben bleiben/die sünde hassen/
 das vns Gott inderdar die vbrigen
 sünde/ vmb Christus willen verzeihet/
 Darumb ob schon das Gesetz den sün-
 der nicht frommachtet/denn solch groß
 ding gehört alleyn Christo zu eygen/
 So bereyt es ihn aber zur frömmigkeit/
 denn er erschrickt/ wenn er seine sünde
 vnd Gottes gericht durchs Gesetz er-
 kennet vñ kreucht zum Creuz Christi/
 ruffet den namen des HERN an / be-
 gert gnade/ vnd kriegt ablas der sün-
 de vnd Gottes geyst/ Darumb/lieben
 freunde / lernet die Zehen gebott mit
 grossem

CAVTE LOQVENDI.

grossen vleiß/ vnd bittet Gott vmb
gnade/das ihr sie halten müget / vnd
vmb verzeihung/ wo jr sie vbertretten
habt.

QVOMODO CAVTE LOQVEN dum de Libero arbitrio.

Homo habet liberum arbitrium in rebus quæ
ad hanc caducam uitam pertinent, ibi potest
uelle edere, uel nolle edere, uelle hoc uel ali-
ud agere uel omittere. Nam habet lumen naturale,
& libertatem aliquo modo honeste uiuendi corã mun-
do, sicut multi Ethnici honeste uixerunt. Sed supra
diximus, per peccatum originale omnes hominis ui-
res esse uiciatas, ut per naturam corruptam, non pos-
sit legem Dei implere, Lex enim Dei spiritalis est
Rom. 7. & plus requirit quàm hypocrisim operum,
Der natürlich mensch hat weder verstãd noch
lust dazu. Ideo non habemus ex natura primæ nati-
uitatis liberum arbitrium pie uiuendi coram Deo, &
bona opera faciendi, sed ex gratia Christi, iuxta illud
Ioan. 8. Si filius uos liberos reddiderit, uere liberi e-
stis, id est, si Christus uobis pctã remiserit, & sic à
Diaboli potestate eripuerit, & spiritum suum uobis
donauerit, tunc non serui, sed filij liberi estis, & po-

FORMVLAE

teritis iuste uiuere, id est, credere in Christum, & fidei bonis operibus testari.

Vel breuius.

Wir sind von natur kinder des zorns vnd knecht der sünde/ vnd können nichts güts thun von vnns selbs/ Aber wenn vns Christus wider gebiert/ vnd den glauben vñ Geyst gibt/ Denn so sind wir frey vnd können güts thun durch den heiligen Geyst/ Aber ohne die gnade vñ den geyst Christi/ gedencken/ begeren vnd thun wir eitel böses/ wie es der böse geyst haben wil/ Vnd wir selbs thun dz böse auß vnns selbs/ Gott hat keyne schuld daran/ er verbeut das böse/ vnd strafft zeitlich vnd ewiglich/ Der Teuffel vnd vnser verkerter böser wille/ sind aller Sünden vrsach vnd theter.

Et necessarium est illa habere probe cognita, ut sciamus miseriam primæ natiuitatis, per quam sumus serui peccati & mancipia Satanae, qui nos captiuos tenet propter peccatum pro sua uoluntate, ex cuius manibus nõ possumus effugere, nisi noster Gigas Christus

stus

CAVTE LOQVENDI.

stus uincat fortem armatū custodem atrij sui, & digito Dei, id est, spiritu sancto spiritum malum eijciat. 2^o Timoth. 2. Luca. 11.

Hoc cognito clarius cognoscemus imperuestigabiles diuitias gratiae Dei, quas in Christo habemus. Solus enim Christus Diabolum uincit & expellit, nos liberat & illuminat suo spiritu, ut nobis libeat uitam agere iuxta uolūntatem Dei. Regnū igitur diaboli est quidem firmum, quia dum custodit atrium suum, id est, impios, in pace sunt ea quae possidet, id est, nihil eorum potest effugere. Sed firmitus & potentius est regnū Christi, quia eijcit Diabolū, uniuersaq; eius arma aufert, et in suo regno perpetuā securitatē tribuit.

QVOMODO CAVTE SIT DE Prædestinationis mysterio loquendum.

ESSE Prædestinationem certū est, Ephe. 1. Pater elegit nos in Christo antequam iacerentur fundamenta mundi. Roma. 9. Nondū natis pueris Esau & Iacob, cum neq; boni quippiā fecissent, neque mali, ut secūdū electionē propositū Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocāte, dictum est Rebeccae, maior seruiet minori, sicut Mala. 1. scriptum est, Iacob dilexi, Esau uero odio habui.

Sed hoc mysteriū Prædestinationis est solidus cibus adulatorū, nō lac infantū. Quare ualde necessariū est

FORMVLAE

*caute tractare hunc locum, & non apud quoslibet in
discriminatim de eo loqui. Paulus enim iubet omnia
fieri ad ædificationem. Videmus enim cum quanto
Dei timore, quantaq; reuerentia hunc locum Apo-
stolus tractarit Rom. 9. 10. & 11. Pessime igitur qui-
dam dicunt,*

*Bistu versehen/so thû was du wilt/
es sei böses oder güts/ so wirstu selig.*

Est blasphemus error, sed sic loquere.

Wer zum Ewigen leben versehen
ist/ der glaubt dem Euangelio vnd bes-
sert sein leben/ Denn Gott berufft ihn
zu seiner zeit/einen inn der jugent/den
andern im alter / nach seinem willen/
Es bleibt kein eruelter im vnglauben
vnd sündigem leben endlich / Welcher
aber jmer hin böses thüt / vnd darauff
beharret / der wirdt verdampft / Denn
er hat keynen Christlichen glauben /
Glaubete er/so lebete er Christlich/vnd
besserte sein leben / Darumb wer end-
lich keyne büsse thüt / der ist gewislich
der verdampften eyner.

Darumb

CAVTE LOQVENDI.

Darumb ist gewiß / welcher versehen ist / der thüt nicht jmerdar was er wil / sondern wirdt befert / vñnd thüt darnach auch was Gott wil / Wer böses thüt / der kan vn̄ sol verdampft werden / weñ er im bösen verharret / Gleich wie Gott Petrum / Paulum vñnd vns andere Christen zur seligkeit versehen hat / Also hat er auch zuuor verordnet vñd versehen ire bekerung / iren Christlichen wandel / büsse vñnd güte werck / darinnen sie wandeln / vñd iren beruff vñd glauben bezeugen müsten / Eph. 2.

Wir sollen den tieffen abgrund Göttlicher vorsehung nicht mit menschlichem fürwitz handeln / sondern thün was vñns Gott heysset vñnd befilhet / nemlich dem Euangelio glauben / Wer ihm glaubt / der ist der eruelten eyner / Rom. 8. Johan. 8. Wer im noch nicht glaubt / der ist entweder nicht auß der zal der außewelten / oder aber es ist die stunde seines beruffs noch nicht kom-

FORMVLAE

men. Wer hie nicht gewlich fallen wil
wie Lucifer/der sol mit den heymlichen
gerichten Gottes vnuerworrē bleiben.

*Et placet mihi quod Augustinus noster de bono
perseuerantiae Cap. 22. Prædicatores monet, de defi-
nita sententia diuinæ uoluntatis locuturos apud po-
pulum. Cum enim alloquamur Ecclesiam Dei uel
Christifides, non debemus dicere: ita se habet de præ-
destinatiōe definita sentētia uolūtatis Dei, ut alij ex
uobis de infidelitate, accepta obediēdi uolūtate uene-
ritis ad fidem. Nam cum dicimus ex uobis, certe ui-
demur cæteris facere iniuriam, uel eos à salute exclu-
dere. Sed ita coram Ecclesia dicamus.*

*Ita se habet de Prædestinatione definita sentētia
uoluntatis diuinæ, ut ex infidelitate ueneritis ad fi-
dem, accepta uoluntate obediendi à Deo, utq; accepta
etiam perseuerantia permanetis in fide.*

Gott hat euch den glauben in Chri-
stum vnd gütten willen gegeben/ vnd
gibe euch auch die gnade/das jr biß ins
ende im glauben verharret.

*Similiter nec sic est loquendum apud populum.
Cæteri uero qui in peccatorum delectatione remora-
mini, ideo nondum resurrexistis, quia necdum uos ad
iutorium*

CAVTE LOQVENDI.

iutorium gratiæ miserantis erexit. Talibus enim uerbis uideremur quibusdam in turba denegare gratiam poenitiæ. Sed hoc modo coram populo loquamur. Si qui autem adhuc in peccatorum damnabilium delectatione remoramini, apprehendite saluberrimam disciplinam, quod tamen cum feceritis, nolite extolli quasi de operibus uestris, aut gloriari quasi hoc non acceperitis. Deus est enim qui operatur in uobis & uelle & operari pro bona uoluntate.

QVOMODO CAVTE DE LIBERTATE Christiana loquendum.

Christus nos liberauit à peccato & poena peccati, æterna maledictione uel morte, à potestate Satanae, donat nobis spiritum sanctum, qui corda nostra renouat, ut nobis libeat ambulare in præceptis Dei, & tuetur nos contra insidias & uolentiam Diaboli, liberauit nos item à lege ceremoniali & iudiciali Mosi, & onere traditionum humanarum in Ecclesia. Oës traditiones Ecclesiæ, quæ ad ordinem faciunt, seruamus libere, ut oïa in Ecclesia ordinate gerantur. Sed non ponimus in ijs seruatis pietatem, uel citra scandalum neglectis, peccatum.

Hæc est præeminens illa libertas, quam in Christo habemus, spiritualis, nõ carnalis. Sed curandū est, ut libertatem illam demus in occasione carnis, sed per

FORMVLAE

*Charitatē seruiamus nobis inuicem, & ne scandalize-
mus simplices fratres, sicut Apostolus docet Galat. 5.
Et Rom. 14. 2. Corinth. 8.*

Mann sol auß der geystlichen freis-
heyte keyne fleyschliche sicherheyte vnnnd
mütwillen machen / Das man wolte vor-
gelfrei vnnnd niemands vnterworffen
sein.

*In carne possumus esse serui omnium, omnibus sub-
ijci, & simul in spiritu esse liberi, non à debitis &
seruitute ciuili, sed à peccato, morte & inferno, ut
iam peccatum & Satan nobis non dominantur, sicut
antea cum essemus sub tyrannide diaboli, & nondum
eramus in Christi gratiam & regnum recepti. Ita A-
postolus Rom. 6. Peccatum uobis non dominabitur,
non enim estis sub lege, sed sub gratia. Et Ioannes ca.
8. Si uos filius liberauerit, uere liberi estis.*

QVOMODO DE MAGISTRATV caute loquendum.

Magistratus non est Tyrannis aut uiolen-
tia, sed legitima potestas à Deo data nobis
in bonum.

*Omnes leges & constitutiones Magistratum
Christiani diligenter seruare debent, nisi sint impie,
que*

CAUTE LOQUENDI.

peccatum præcipiant. Tunc enim oportet magis obedire Deo quam hominibus Acto. 15. Et illæ Magistratum constitutiones non debent haberi pro pure humanis traditionibus, quia habent uim suam obligandi immediate à uerbo Dei. 1. Pet. 2. Subditi estote cuius humane creature, id est, ordinationi, propter Dominum, siue Regi tanquam præcellenti, siue præsidibus, ut qui per eum mittantur, ad uindictam quidem nocentium, laudem uero recte agentium, quoniam sic est uoluntas Dei, ut benefaciendo obturetis os omnibus hominibus ignorantibus, Tanquam liberi, et nõ ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, sed tanquam serui Dei.

Vulgus hominum per Papistas didicit contemnerè Magistratum, quare diligenter & sæpe populo inculcanda sunt hæc Apostoli uerba Rom. 13. Omnis anima potestatibus, quæ præsumt, subdita sit, Non est enim potestas nisi à Deo, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, qui restiterint, sibi ipsis iudicium accipient. Magistratus est minister Dei, ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Sæpe doceatur quam egregia opera sint, & Deo gratissima, sic gerere Magistratum, & Magistratui libenter & prompte obedire.

FORMVLAE

QVOMODO CAUTE TRA

standus sit locus Esaiæ. 34. Da

bo uniuersos filios tuos do,

Etos à Domino.

NON temere hunc locum produco, Nam ab imperitis iactatur tanquam Encomium imperitiæ, & hinc putant se uerbum Dei habere, quo omnes bonæ artes, & ipsa deniq; Theologiæ studia explodantur. Christus satis explicat hunc locum Ioan. 6. Nemo potest, inquit, uenire ad me, nisi pater qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eum in nouissimo die. Et scriptum in Prophetis. Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre, & didicit, uenit ad me.

Hic Christus de communi illa & omnibus saluandis necessaria doctrina loquitur, qua Christum agnoscimus esse filium Dei propter nostram salutem hominem factum, & in eum, ut nostrum unicum saluatorem, credimus. Hac doctrina illuminantur certe omnes electi, Et qui ea caruerit, condemnabitur.

**Propheciam
donam.**

Sed est etiam in Ecclesia alia eruditio, quæ uocatur donum Prophetiæ, quo dono donantur non omnes Christiani, sed qui ecclesijs docendis præficiuntur, ut scripturas sanctas exponant, ad edificationem, exhortationem & consolationem, cuius mentio fit

CAVTE LOQVENDI.

tio fit. 1. Cor. 14. Hoc donum non est omnibus cer-
donibus, sartoribus & sutoribus cum Apostolis cō-
mune, quo qui carent, non debent docere in Ecclesia,
sed docentes reuerenter audire, ut Apostolus ait, qui
non est interpret, taceat in Ecclesia, ceterum sibi
ipsi loquatur & Deo.

QVOMODO CAVTE DE SA- tisfactione loquendum.

Propriè nulla est alia Satisfactio pro peccatis
mundi, q̄ preciosa mors Christi, hæc una satis-
fecit pro nobis iusticiæ diuinæ, & nos Deo re-
conciliavit. Sed illius Satisfactionis nemo fit parti-
ceps, nisi credentes Euangelio Christi. Nemo autem
habetur in numero credentium, nisi emendet uitam
impiam, & testetur bonis operibus fidem suam, uel,
ut Apostolus ait, qui abnegat impietatem & munda-
nas concupiscentias, sobrie, & iuste, & pie uiuat in
presenti seculo. Ideo seipso periculose decipiunt,
qui sic blasphemant, Quid opus est me ieiunare, or-
rare, corpus adfligere, opera bona exercere. Non-
ne Christus pro me satisfecit legi? Si ipse fecit, quid
opus est meis operibus? Verum est frater, CHRIS-
TVS & iusticiæ DEI rigorosæ, & legi satis-
fecit plenissime, & inestimabile precium persol-

FORMVLAE

uit pro delendis nostris peccatis, Sed nemo fit parti-
 ceps illius plenissimæ satisfactionis, nisi credat in
 Christum. Et qui credunt in Christum, proculdubio
 odiunt peccatum, pro quo expiando tam preciosam
 uictimam offerri oportebat, & innocenter uiuere in-
 cipiunt. Qui autem in peccatis manent, nec poenitēt,
 illi non credunt filium Dei pro nostris peccatis mor-
 tuum esse, adeo inter Ethnicos sunt numerandi, & de
 satisfactione Christi nec possunt, nec debent gloriari.
 Non te à peccatis redemit, ut semper in peccatis ma-
 neas, sed ut peccato deleto iuste uiuas: sicut Chirurghi-
 cus loetaliter uulneratum non ideo sanat, ut rursus
 uulnera accipiat, sed ut deinceps sanus permaneat.
 Ita Apostolus dicit, 1. Thess. 4. Deus non uocauit nos
 immundiciæ causa, sed ad sanctificationem. Et Rom.
 6. Nos sumus sepulti cum Christo per Baptismum in
 mortem, ut quemadmodum excitatus est Christus ex
 mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate ui-
 te ambulemus.

Sic igitur Christianus cogitabit & dicet, Chri-
 stus Dominus meus & Deus meus propter peccata
 mea delenda mortuus est & satisfecit, Ergo posthac
 peccata fugiam tanquam pestem infernalem, quæ nul-
 lo alio remedio, quàm innocentissimam morte filij Dei
 deleri potuit.

Hat

CAUTE LOQUENDI.

Hat die bezalung meiner sünde vnd die versöhnung so viel gekostet/ nemlich den bitteren tod meines Gottes/ so behüt mich Gott für sünden.

QVOMODO DE VIRGINITATE CAUTE LOQUENDUM.

Virginitas talis est status, quem Paulus confis-
lit donum castitatis habentibus, & sine mul-
tis impedimentis potest tractare Euangeli-
um, sicut Apostolus ait, Innupta curat ea quæ sunt
Domini, ut sit sancta cum corpore, tum spiritu. Ita
igitur docendum est, Qui habet à Deo donum conti-
nentiæ, ille eo utatur. Tempus breue est, præte-
rit habitus huius mundi. Qui autem uritur, & do-
num illud non habet, uiuat in matrimonio sancto. Ad
slictionem quidem in carne habebunt coniuges, sed
sunt in eo statu, qui placet Deo, & fons est honesta-
tis publicæ. Honorabile enim est inter omnes con-
iugium, & cubile impollutū, ait Paulus Heb. 13. Scor-
tatores autem & adulteros iudicabit Deus.

DE CONFSSIONE QVO modo caute loquendum.

Confessio semper fuit in Ecclesia, sed per ho-
mines addita sunt quedam inutilia, imo pe-
riculosa.

FORMVLAE

Dixerunt omnia peccata esse prodenda, quod esse impossibile.

Et proponenda proprio sacerdoti tantum, nisi ab eo ueniam acceperint alibi confitendi. Profecto utile est proprium pastorem consulere, sed non est hic conscientia praecepto oneranda.

Omisso uno peccato uoluntarie, totam confessionem esse repetendam.

Populus persuasus fuit, propter ipsum opus confitendi & contritionem propriam remitti peccata. De Christi meritis parum cogitauit. Haec tanquam necessaria Papistae urgebant cum magno conscientiarum periculo:

Confiteri ergo Christianus debet, & Deo semper, & saepe Ministro Verbi, ad minimum quando ad mensam Domini accessurus est, ut audiat uerbum Christi ex ore Ministri, qui per os Ministri nos absoluit à peccatis nostris. Nam Christus dedit clauis regni caelorum Ecclesiae suae, haec committit Ministris uerbi; quibus illi remittunt peccata, illis sunt remissa, quibus retinent, sunt retenta. Credere ergo firmiter debemus absolutioni, non minus quam si Christus ipse uisibiliter nos absolueret, sicut absoluit Magdalenam & paralyticum.

Communicaturi debent ante perceptionem uenerabilissimi Sacramenti diligenter examinari in confessione,

CAUTE LOQVENDI.

Mone, non multi simul, sed singuli, ut pastor exploret, an intelligent Catechismum, an sciant cur sit communicandum, & quid in Sacramento sit quærendum.

QVOMODO DE HVMANIS traditionibus caute lo- quendum.

Non omnes traditiones hominum sunt reiiciende, & in primis moneo, ne civiles ordinationes & leges inter traditiones humanas collocetis. Nam hoc vocabulo solemus uti, quoties de constitutionibus Episcoporum in Ecclesia loquimur. Et tantum illas traditiones reiicimus, quæ uel aperte reluctantur uerbo Dei, ut doctrina de sacrificio Missæ, quòd mereatur remissionem peccatorum pro uiuis & mortuis, doctrina de cœlibatu impuro, quòd Sacerdotes, Monachi & Moniales peccent contrahendo matrimonium, uel quoties Episcopi aut Sacerdotes condunt leges uel traditiones, quibus Deus sit colendus, & quibus iustificari peccatores debeant, quales traditiones sunt in monachatu de cibis & uestitu uario, quibus putarunt se colere Deum, posuerunt peccatum in transgressione taliû doctrinarum, & iusticiam in earum obseruatione.

Tales doctrinas Christus Mat. 15, aperte improbat et damnat dicēs. Hypocrite, recte de uobis prædixit.

FORMVLAE

Esaias, Appropinquat mihi populus hic ore suo &
 Labijs me honorat, cæterū cor eorū procul abest à me,
 sed frustra me colunt docentes doctrinas præceptaq;
 hominum, Es ist eitel vergeblicher vnnützer
 dienst. Sed quædam traditiones in Ecclesia fiunt
 bono fine, nempe propter ordinem seruandum: Apo-
 stolus enim non frustra Corinthios monuit, ut in Ec-
 clesia omnia decenter & secundum ordinem fiant. 1.
 Cor. 14. In his nõ quærimus iusticiam, sed rudes qua-
 si pædagogia quadam retinemus in officio, ut discant
 reuerenter tractare sacra. Sic seruamus diem domini-
 cum, sic Episcopus præscribit ieiunium propter ora-
 tionem feruentius celebrandam, statuitur dies, quo
 ad audiendum uerbum Dei, & percipienda Sacramē-
 ta populus conuenire debet, præcipua anni festa,
 de natiuitate, circumcisione, passione, resurrectio-
 ne, ascensione Domini, & spiritus sancti missione,
 de annunciatione angelica, de Ioanne Baptista, ser-
 uamus, ut mysteria Euangelij præcipua, quæ in ijs
 commemorantur, memorijs hominum efficacius infi-
 gantur, & tenacius inhereant.

Contra huiusmodi traditiones, quæ de rebus me-
 dijs constitutæ sunt ordinis gratia, nemo debet con-
 cionari, sed eas approbare, ne simplices à talibus
 ceremonijs & traditionibus deterriti, incipiant om-
 nia pietatis exercitia contemnere, sicut fit, ubi prædi-
 catores

CAUTE LOQUENDI.

catores sine differentia omnes traditiones reijciunt, ut iam uidemus in multis locis populum non intrare templum, uel si intrant nihil curare omnia sacra. Cuius erroris autores sunt indocti & temerarij predicatorum, qui sine modo & sine omnibus ceremonijs & traditionibus reclamant, donec populus etiam contemnere coepit publicas conciones & sacramentorum administrationem.

Ex ijs facile intelligimus, quomodo de ceremonijs & festis sentiendum & loquendum sit caute. Ceremonijs Ecclesia militans in carne carere non potest, quare si non sunt palam aduersariae uerbo Dei, sed boni ordinis gratia haftenus seruatae, sine impia opinione iusticiae per eas acquirendae, certe non sunt abiiciendae, sed pacis gratia custodiendae, ne offendantur simplices. Magni tumultus & infinita scandala oriuntur ex huiusmodi ceremoniarum mutatione, ut in Historijs Ecclesiasticis Eusebij & aliorum clare legimus, quare pius et prudens pastor diligenter cauebit, ne subita taliu reru mutatione scandala pariat. Quare Principis mandatū est, ut illaru similitudo retineatur, ne uestes Ecclesiasticae, quibus in administratione Sacramentoru utimur, reijciantur, sed retineantur propter decoru in libertate Christiana.

Similiter Festa non sunt statim abroganda, ut populus assuescat certis saltē diebus audire uerbu Dei, &

FORMVLAE

sacris interesse, eorumque participatione exerceatur
ad pietatem.

QUOMODO CAUTE DE ieiunio loquendum.

DVplex est ieiunium, quotidianum & spiritu-
ale. Quotidianum est, quotidiana Chri-
stianorum sobrietas & temperantia. Sem-
per enim à crapula & ebrietate cauere debent, iu-
xta admonitionem Christi, Luc. 21. ut semper integris
sensibus queant glorificare nomen Domini. Ad hoc
passim urget scriptura, Ephe. 5. Ne inebriemini ui-
no in quo luxus est, sed impleamini spiritu, loquen-
tes uobis ipsis per Psalmos & hymnos & cantio-
nes spirituales, canentes & psallentes in corde
uestro, Deo gratias agentes semper de omnibus in
nomine Domini. Roma. 13. Abijciamus opera tene-
brarum & induamur arma lucis, tanquam in die
compositae ambulemus, non comessationibus &
ebrietatibus. Et carnis curam ne agatis ad con-
cupiscentias. 1. Thes. 5. Nos qui sumus filij Dei sobrii
simus. Tit. 2. Apparuit gratia Dei salutifera omnibus
hominibus, erudiens nos, ut sobrie uiuamus, &c.

Sed speciale ieiunium est, quādo uel tempore mag-
næ calamitatis uel orationis gratia homo ieiunium
unius diei aut plurium sibi prescribit, aut Episcopus
uel

CAVTE LOQVENDI.

vel Magistratus ieiunium indicit, sicut fecit Iehosaphat Rex Iuda. 2. Paral. 20. Et Apostolus, 2. Corin. 7. coniugibus tale ieiunium praescribit, dicens. Ne fraudetis uos inuicem, nisi si quid ex consensu pro tempore, ut uacatis ieiunio & precationi. Et ego existimo ieiunium quadragesimale hac de causa, tamen in libertate Christiana, olim esse seruatum in Ecclesia primitiua, ut populus ieiunio praepararetur ad ardentius & attentius orandum, ac gratias agendum in cena Domini, pro preciosissima morte Christi, qua ab omnibus malis in aeternum redempti sumus, & pro uictoriosissima eius resurrectione, unde nostra iustificatio & resurrectio proueniunt.

Certe sanctus Ignatius Ioannis Euangelistae discipulus in Asia, Martyr Christi, in Epistola ad Philippenses sic ait. Nolite Quadragesimam pro nihilo habere, imitationem enim continet conuersationis Dei. Verum non oneravit uir sanctus conscientias his oneribus, quibus nos Papa molestauit, qui praecipit hoc ieiunium sub peccato mortali, carnes, oua, butyrum prohibuit, quarum rerum nulla est mentio apud Ignatium. Ignatium.

Diuus etiam Hieronymus contra Montanum haereticum ait. Nos Quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno ieiunauimus. Et huius ieiunij saepe meminit diuus Ambrosius. Hieronymus.

FORMVLAE

Vel sic breuius.

Welcher ein Christ ist/ der wirdt gewislich vñ geyst Gottes bewegt/ nüchtern vnd messiglich zu leben alle tag/ damit das müttwillige fleysch den geyst nicht vberpoltere/ Auch wenn er etwas ernstlichs von Gott bitten wil/ od' sich zu einer ernstlichen dancksagung inns Herrn Nachtmal schicken wil/ so wird er auch zuuor durch anregung des geists Christi fasten/ oder messiglich vñ nüchtern leben/ Wo ers nicht thut/ so ist er noch gar fleyschlich vñ ein titel Christ. Die erste fromme Christenheyt vor tausent jaren hieltē die vierzig tag fasten/ ein jeder nach seiner gelegenheit/ Was sind wir fur Christen / das wir im jar nicht ein oder zwey mal wollen fasten/ wenn wir zu Gottes tisch gehen sollen/ Doch' diß alles von der besondern fasten sol eine lere vnd vermanung sein/ nicht ein gebot/ das man der consciencien feynen strick lege.

QVOMO

CAUTE LOQUENDI.
QUOMODO DE ORATIONE
caute loquendum.

Qui uere orare uoluerit, in spiritu & ueritate oret, non tantum uerba labijs multiplicet. In mente & ex fide facta oratio exauditur: Nam Deus praecepit orare Lucae. 18. & promissit exauditionem Matth. 7. Certi igitur aliquid pete à patre coelesti per Christum, siue sit spirituale siue corporale: Sed ante omnia pete ueram & constantem fidem in Christum. In petendis rebus ad hanc uitam pertinentibus, ut est sanitas, uictus & alia, adijce diligenter hanc clausulam, Domine fiat uoluntas tua. Nam ipse nouit quid nobis conducat, quid uoceat. Et orandum est perseueranter. Exemplum habemus in Christo, qui Lucae. 6. in monte orabat & pernoctabat in deprecatione teste Luca. Et beata uirgo Deipara cum Apostolis unanimiter in deprecatione perseuerabat Acto. 1. Et Paulus in Thessa. 5. ait, inde sinenter orate. Et Christus Lucae. 18. proposita parabola de uidua & iniquo iudice, docuit, quòd oporteat semper & instanter orare, nec defatigari.

Quòd autem Christus Matth. 6. reijcit orationes Phariseorum, in causa erat ipsorum error et abusus. Bonum & necessarium est orare, sed oportet orare iuxta uerbum Dei. Phariseorum oratio erat hypocrisis contra uerbum Dei, querebant laudem homin

FORMVLAE

num, publice in plateis orantes. Et erat multiloquium, sine fide & attentione cordis, sicut murmur Papistarum, quando horas Canonicas permurmurant sine attentione & deuotione. Ideo dicit: Orantes ne sitis multiloqui, sicut Ethnici, putant enim fore, ut ob multiloquium suum exaudiantur. Ne igitur efficiamini similes istorum. Non reijcit igitur Christus assiduam & prolixam orationem, quæ fit ex corde fidei & attento, sed illud multiloquium labiorum, quando cor nihil serio desiderat & attente, sed tantum labia perstrepunt sine mente.

Vel sic breuius.

Welcher recht beten wil/der sol auß
rechtem vertrauen inn Christum von
herken etwas von Gott begeren / wie
ein kind von seinem lieben vatter / vnd
sol lang oder kurz betten / nach dem in
die not vnd andacht dringet / Wolte
Gott/ das wir auch eine ganze nacht
betten fündten von grund vnsers her-
kens/wie Christus thet/ Luce 6. Aber
wenn mann alleyn viel wortt mit dem
munde machet/ vñ das herz kein auff-
mercken noch ernstlich begird hat et-
was

CAVTE LOQVENDI.

was von Gott zuerwerben/ das ist ein
eitel gleichnerey vñd Pharisaisch ge-
geschweh/ welches Gott nicht haben
noch erhören wil/ Den Christus sprichet
Johan. am 1. Die rechten anbeten/ das
sind die Christen/ die werden den Vat-
ter anbeten im geyst vñ in der warheit.

*Concionator assidue hortetur populum ad seriam
et perseverantē orationē, et saepe inculcet efficaciam
orationis Christi fidelis, in hunc uel similem modum.*

Moses orabat pro populo, et Dominus per ene-

*Vis oratio-
nis.*

*um serpentem subueniebat, Numeri. 21.
Aharon stabat inter mortuos et uiuentes pro po-
pulo orans, et plaga cessauit, Num. 16.*

*Ezechias orauit cum mortaliter egrotaret, et ex-
orauit 15. annos, Esa. 38.*

*Ecclesia primitiua orabat pro Petro, et cathene
cadunt, Petrus liberatur, Acto. 12.*

*Paulus orat in magna tempestate maris, et uitam
exorat. 279. hominibus, Acto. 27.*

*Cornelius ardentem orat, et mittitur primo ad e-
um Angelus dicens: Orationes tuae et eleemosy-
nae tuae ascenderunt in memoriam coram Deo. Et mox
mittitur ad eum Petrus, ut eum in fide Christiane
instituat, et baptizet, Acto. 10. Scripturae talibus*

FORMULAE

exemplis plenae sunt. Ideo in omni necessitate more
orate patrem nostrum coelestem per Christum in fi-
de, & dabit uobis petitiones cordis uestri.

QUOMODO CAUTE DE SAN- ctorum cultu sit lo- quendum.

ECCLESIA Christi catholica certo nouit,
nos omnes peccatores nasci, & ex mera gra-
tia Dei propter Christum iustificari & salua-
ri. Dein nouit & confitetur, quod solus IESVS Chri-
stus est noster Mediator & Propiciator, qui solus po-
tuit & debuit nos liberare a peccatis, morte & po-
testate Diaboli, & Deo patri reconciliare. Et quia
propter sola Christi merita Deus nobis propitius fit,
& peccata remittit, & uitam aeternam dat. Et Eccle-
sia nouit, quod inuocare est opus secundi praecepti,
quod soli Deo debetur, non ulli purae creaturae. Ne-
mo est inuocandus nisi ille, in quem credere oportet,
quod possit & uelit nos saluare. In solum Deum debe-
mus credere, solus igitur Deus est inuocandus, ut nos
ab omni malo liberet, Psal. 49. Inuoca me in die tribu-
lationis, & eruam te, & tu honorificabis me. Et Chri-
stus dicit, Venite ad me omnes, Matth. 11.

Ita nos docet Spiritus sanctus per suum organum
Paulum Rom. 3. Iustificamur gratis per illius gratiam,
per

CAUTE LOQUENDI.

per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quem Deus proposuit propiciatorium per fidem, interueniente ipsius sanguine.

His discimus, primo, Nos gratis iustificari per meritam Dei gratiam, non per nostra merita.

Oportuit tamen esse precium quoddam tantæ redemptionis & propitiatorum, quo Deus placaretur nobis, & quod pro nobis datum, mereretur nobis remissionem peccatorum, & uitam. Hoc precium est ipsemet Christus IESVS, qui suo proprio sanguine nos redemit, placavit iratum Deum. Non cuiuslibet hominis sanguis & mors hoc præstare poterant, sed solius Christi sanguis hæc nobis emeruit bona æterna.

Fide efficimur illius precij participes, ut ipse sit nostra propitiatio pro peccatis nostris 1. Ioan. 2.

Hinc cõsequitur irrefragabiliter, quod nullus Sanctorum nos redemit, sed solus Christus, ideo propter nullius sancti merita, nobis Deus fit propitius & nos saluat, sed tantum propter infinita merita Christi, qui est Sanctus sanctorum.

Ergo Sancti non sunt inuocandi, & eorum meritis non est fidendum. Neq; enim sunt Deus, sed creature. Et non propiciãrunt nobis iratum Deum, sed solus Christus.

Et de Sanctorum inuocatione in canone Scripturæ nullum est præceptum, nullum consiliũ, nulla

FORMULAE

promissio, nullum exemplum.

Vuos rogamus, ut pro nobis orent, sed non inuocamus eos, nec eorum meritis fidimus, tanquam ipsi sint qui eripere possint, uel propter quorum merita adiuuemur, sed propter Christi merita. Et hanc orationē mutuā, qua alter pro altero orat, scripturae exigat, habet exēpla & promissionē exauditionis.

Sed de ijs inuocandis, qui obdormierunt in Domino, scriptura nihil praecipit, nec consulit ut eos inuocemus, nec promittit in eorum nomine quicquam, nec habet exempla, ubi quispiam ex Christianis inuocauerit defunctos, & exauditus sit.

Si sumus Christiani, cur non apertum Dei uerbum retinemus? cur non Christum uerum & unicum Mediatorem & intercessorem apud patrem amplectimur, quem solum Pater ipse Propiciatorem nostrum constituit? Et nullū alium constituit. In solo enim Christi nomine promittitur nobis iustificatio & salus, in nullius sancti nomine promittitur.

Et sanctorum uoluntas est conformis uoluntati diuinae, quare nolunt diuinos honores à nobis suscipere, qui soli Deo debentur.

Sancti quo
modo colen
di,

Quomodo igitur colendi sunt sancti?

Charissimi fratres, si quis spiritualis est, agnoscat quae scribo uobis. Honorificentissime de sanctis iuxta scripturas sentiendum & loquendum est. Quos enim

Deus

CAUTE LOQVENDI.

Deus ipse sic honorat, eos proculdubio honorari uult
& à nobis. Sic enim scribitur Psal. 71. iuxta septua-
ginta Interpretes, de Christianis. Honorabile no-
men eorū corā illo. Ipse enim Pater eos pro filijs suis
agnoscit, Filius eos uocat fratres & coheredes, Spi-
ritus sanctus uero, sua templa. Ideo passim exempla
sanctorum nobis proponuntur considerata in scrip-
turis. Nonne sancti qui in Christo obdormierunt, sunt
cum Christo? qui igitur eos non honorat, ipsum eti-
am Christum in eis contemnit, & gratiam Dei, per
quam tales tantiq; euaserunt, parui pendit. Obsecro,
quid sentit ille de sancta Ecclesia, qui nostra conmem-
bra, iam cum Christo in pace constituta, & de eter-
na salute certificata non honorat? Christus dixit,
angelos Dei gaudere super uno peccatore poeniten-
tiam agente, Luc. 15. Quare proculdubio sancti, fra-
tres nostri, miro desiderio desiderant accelerationem
nostrae poenitentiae & salutis. Et cum angeli pro no-
bis orent Zach. 1. uerisimile est etiam sanctos pro no-
bis orare. Nam charitas eorum erga nos non est dimi-
nuta, sed aucta, quamuis hinc non sequatur sanctorū
inuocatio, Sicut neq; angelos inuocamus, sed solum
Christum Deum nostrum.

Honorare tamen sanctos debemus, sicut uetus
Ecclesia eos honorauit, quae celebrabat honorifice san-
ctorum memorias. Gratias egit Deo pro sanctorum li.

FORMVLAE

Oratione, pro gratia ipsis collata, & pro beatitudine eorum, ac pro eximijs donis, quae Deus per sanctos in Ecclesiam effudit: Nonne, ut reliquos taceam, per Augustinum Deus Ecclesiam excitat, ut Pauli Epistolae intelligat, quando uir ille sanctus Christum in scripturis tam ardentem querit, & Pelagianos tam potenter confutat & confundit, doctrina Pauli armatus?

Nonne sancti clarissima gratiae diuinae specula sunt? in ijs uidemus, quid possit gratia Dei: Quando enim legimus uel audimus eos qui nobis similes erant, tam mirabiliter & potenter potuisse uincere, peccatum, mundum & mortem, mox & nos excitamur ad concipiendam fiduciam tantae misericordiae Dei, in Christo promissae & exhibitae. Tum illorum exempla nos inflammant ad imitationem, ut Deum pro simili fide oremus, & sanctorum uirtutes, iuxta uocationis nostrae rationem imitemur. Sic confirmatur in nobis fides in Christum, accenditur charitas, roboratur spes aeternae salutis. Cogitamus eos non esse amissos, sed praemissos ad uitam futuri seculi. Et hunc articulum, Credo Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, serio consideramus. Non enim exigua consolatio est pio cordi, recordari eorum, qui primum ut nos in mortali carne contra peccatum militauerunt, nunc gremio crepti sunt, et in tuto collocati. Nam nos eos certo sequere

to sequere

CAUTE LOQVENDI.

to sequemur, sumus enim fratres eorum, conciuēs san-
ctorum, & domestici Dei, superstructi super funda-
mentum Apostolorum & Prophetarum, summo angu-
lari lapide, ipso Iesu Christo. O beatam illam Dei ci-
uitatem, in quam tot infantes, uirgines, martyresque
sunt recepti, ubi uidebimus in æternum Apostolos,
Prophetas, Patriarchas & iustos omnes, qui ab A-
dam usq; ad ultimum in terris Christianum, in Chri-
stum crediderunt. Videbimus angelorum choros, &
ipsam superbenedictam genetricem, nobilissimum my-
stici corporis mēbrū, deniq; unicū illud et æternū gau-
diū angelorū et hoīm Iesum Christū regē gloriæ, &
Deū oīa in oībus. Nonne pia hac tantarū rerū memo-
ria, fides gloriose resurrectiōis nostræ & uitæ futu-
ræ in nobis excitabitur, aletur & confirmabitur?

ideo Apostolus nobis pulchrum catalogum san-
ctorum, quos ex Scripturis constat cum Christo esse,
ponit ob oculos Heb. 11. describens fidem Abel, E-
noch, Noah, Abraham, Isaac, Iacob, Saræ, Ioseph, Mo-
si, Rahab, Gedeonis, Samsonis, David, Samuelis, ut in
eis cernamus uim fidei & gratiæ Dei, militiam &
uictoriam contra mundum, peccatum & mortem, &
in fide ac spe corroboremur. Et Heb. 13. dicit. Memē-
tote eorum qui locuti sunt uobis sermonem Dei, quo-
rum imitemini fidem, considerantes qui fuerit exitus
conuersationis illorum. Et. 1. Timoth. 1. Christus Ie-

F O R M U L A E

sus uenit in mūdum ut peccatores saluos faceret, quorum sum ego. Verum ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primo ostenderet Iesus Christus omnē clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui credituri essent in ipso in uitam æternam.

Porro cum Thessalonicenses Ethnicorum more lugerent immodice suos defunctos, Apostolus non tollit omnino hanc memoriam & curam pro mortuis, & memorias pias Christianorum dormientium, sed eas confirmat, tantum corrigit abusum. Nam recordari Christi fidelium, qui obdormierunt, pietatis Christianæ est. At Sadducæorum deplorata cecitas mortuos simul ex domo & animo abiicit, quasi nunquam sint reuicturi, sed perituri, sicut bestiae pereunt, quibus à morte corporis nihil superest.

Sed audite uerba Apostoli consolantissima. Si credimus, inquit, quòd Iesus mortuus est & resurrexit, sic & Deus eos qui obdormierunt per Iesum adducet cum illo. Hæc uerba nostræ resurrectionis fidem maxime confirmant. q. d. Ablati quidem ab oculis uestris sunt uestri amici & fratres, sed non perierunt. Quàm certo enim Christus resurrexit à mortuis, tã certo etiam resurgent uestri amici. Et in fine capituli primæ ad Thess ait. Consolemini uos mutuo sermonibus his. Qui erant sermones illi? nimirum, Christus resurrexit, Credentes in Christum etiam resurgent,

C A V T E L O Q V E N D I.

furgent, semper cum Domino erimus, hoc est, Mors corporalis nos ad breue tempus separauit, sed rursus conuinemus, & simul cum Christo in eternum regnabimus. Was durffen wir vns fast bekummern der verstorbenen halben / müssen wir doch wider alle zusammen komē / vnd darnach hinfurt ewiglich bey einander in freude vñ glori bleiben.

Ita Apostolus Ecclesiam consolatur, & ipsa se Apostoli monitis solatur, sermonibus certis de certissima quiete, pace & salute fratrum obdormientium in Domino.

Ego data opera coniungo sanctos, de quorum salute scriptura testatur, & reliquos, quos etiam speramus in fide Christi obdormisse. Nam & ipsi, si in Domino obdormierunt, sancti sunt. Horum certe memoria semper in Ecclesia religiose celebrata fuit.

Quare uir Dei D. Martinus Lutherus in eternum obseruandus Præceptor noster, non putat à Christiana pietate alienum esse, si pro nostris defunctis semel atq; iterum ex libera deuotione orauerimus. Caritas enim Christiana mire efficax uirtus est, nec se continet, quin & pro uiuis et pro defunctis sit sollicita, ita ut & commembra nostra ex hoc seculo emigrantia, pia prece commendet Christo Domino ac Deo nostro in eternum benedicto.

FORMVLAE

Et haec erat olim et est nūc in Ecclesia catholica Memoria defunctorū, quae euidēs testimoniū est charitatis et fidei, de gloriosa carnis resurrectione, & cum sit fidei fructus, quae per charitatem operatur, nemo eam reijciat, nisi Epicurei & Zadducei.

Eiusmodi defunctorum memoriam celebrauit uetus Ecclesia, ut est apud Orthodoxos, à quorum sententia recedere nō est tutū, nisi repugnēt uerbo Dei.

Gregorius Nazianzenus Theologus in oratione funebri ad Caesarium fratrem de matre sua, ostendit memorias defunctorum celebrari solitas.

Idem ait Gregorius Nyssenus. Idem Chrysostomus in sermone quodam Homilia. 69.

Ambrosius de obitu Theodosij Imperatoris. Dilexi, inquit, uirum, & praesumo de Domino quod suscipiat uocem orationis meae, qua prosequor animam piā. Da requiem seruo tuo Theodosio, illō conuertatur anima eius unde descendit, ubi mortis aculeū sentire non possit, ubi cognoscat mortem hanc, non hominis finem esse, sed culpae.

Et in Concilio quodā Aphricano, ca. 3. iubetur fieri defunctorū cōmēdatio post meridiē solis oratiōibus.

Augustinus lib. confess. 9. cap. 13. orauit pro Monica sua matre defuncta, & scribit eandem desiderasse memoriam sui ad altare Dei fieri, ubi uictima sancta dispensatur, quo Chirographū deletum est, quod
erat

CAUTE LOQVENDI.

erat contrarium nobis. Et lib. 20. de ciuitate Dei, cap. 9. Piorum animæ mortuorum non separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. Et de cura pro mortuis gerenda cap. 4. aperte innuit supplicationes, quæ fiunt recta fide & pietate pro mortuis, non esse obmittendas. Et de hæresibus ss. ad Quoduult deum hæresi. 53 scribit quendam hæreticum nomine Aerium Arrianum dogmatizasse, non oportere pro mortuis orare.

Similiter in lib. de cura pro mortuis gerenda cap. 2. dicit. In precibus Sacerdotis quæ domino Deo ad altare eius funduntur, locum etiam habet commendatio mortuorum. Ecce uetustam Ecclesiæ consuetudinem, quæ proculdubio non tales anniuersarios perpetuos & sacrificia pro peccatis defunctorum instituit ut Papa, sed ex libera charitate Christi fideles Deo commendauit.

Ioannes Damascenus in sermone de ijs qui in fide hinc migrarunt, dicit. Apostoli discipuli Saluatoris in tremendis uitalibusq; sacramentis, Memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam esse dixerunt, Et dicit catholice Ecclesiæ receptam & generalem obseruationem fuisse.

Ecclesia item uetus religiose celebravit memorias Christianorum, quos aut scripturarum testimonijs cer

FORMULAE

te nouit, aut ex præcedentis uitæ perspecta pietate non dubitauit apud Christum esse.

Isychius Nazianzeni discipulus in Leuit. lib. 6. cap. 19. Nobiscum, inquit, sunt Prophetæ, & quotquot iusti apud populum Iudaicum fuerunt, in tantū ut memoriæ eorum à nobis annis singulis honorētur.

Augustinus de disciplina Christiana cap. 2. Nonne has mortes subierunt, quorum natalitia celebramus? Et contra Faustum Manichæum lib. 20, cap. 21. Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, Itatamen ut nulli Martyrum, quamuis in memorias Martyrum, constituamus altaria.

Colimus ergo Martyres eo cultu dilectiōis & societatis, quo et in hac uita coluntur sancti hoīes Dei. At illo cultu qui græce dicitur Latria, latine uno uerbo dici nō potest, cū sit quædā proprie diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendū docemus, nisi unū Deū. ipsi enim sancti uel homines uel Angeli, exhiberi sibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt.

Idē lib. 3. cōtra. 2. Epistolas Pelagianorū ad Bonifaciū c. 8. Sancti oēs siue ab illo antiquo Abel usq; ad Ioannē Baptistā, siue ab ipsis Apostolis usq; ad hoc tēpus, & deinceps usq; ad terminum seculi, in Domino sunt laudādi, nō in seipsis. quia illorū uox est, Gratia Dei sum id, quod sum. Et ad omnes pertinet, ut qui

CAUTE LOQVENDI.

gloriatur, in Domino gloriatur.

Idem lib. confess. 10. cap. 42. Domine quem inuenirem qui me reconciliaret tibi? an eundem mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus Sacramentis?

Similia de Angelis honorandis habet Augustinus de uera religione cap. 57. Angelos diligimus et his gratulamur et honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus, nolunt enim his honorari à nobis.

Et lib. 22. de ciuitate Dei cap. 10. pie docet, quomodo sanctis Martyribus non debeat exhiberi Latritia, aut eis erigi templa, sed soli Deo. Idem agit libro. 1. contra Maximinum Arianorum Episcopum.

Hieronymus in cap. 3. Sophoniae. Nomen Apostolorum quotidie nominatur in Ecclesia, quotidie magnificatur, non quod ipsis profit à nobis in Ecclesia nominari, sed quod nos magnificentes nomen eorum, et quae scripserant, iactitantes, consequamur salutem.

Vel sic breuius.

Wir sollen Christum vnsern eynigen erlöser / Bischoff / mitler vnd fürsprecher im Himmel bei dem Vater / anrufen / zu ihm vertrawlich inn aller not fliehen / als zum Gnadenstuel / da sich Gott alleyn wil in gnaden finden lassen / Denn er spricht selbs Matthy. 11.

F O R M V L A E

Kommet alle her zu mir die ihr mühselig
vnd beladen seid / Ich wil Euch erqui-
cken. Vnd die ganze Schrift weiset
vnns zu Christo / der vnns alleyn zum
Vatter bringet / Er alleyn ist vnser
barmherziger vnd trewer hoher Prie-
ster für Gott in den dingen die wir für
Gott zu handeln haben / Heb. 2.

Aber die Schrift leret nirgent / das
wir zu denen / so im HERN entschlaf-
fen sind / inn vnsern nöthen fliehen / sie
anruffen / vnd hülffe bei ihnen hoffen
vnd suchen sollen. Die Schrift leret
aber / das man die Heiligen / als die
außerwelten glieder Christi / vnserer
trewe brüder / solle sonst ehren / das ist /
ehrlich von ihnen halten vnd reden /
Gott inn inen preisen / vnd sie in Gott
loben / der ihnen solche vberschweng-
liche gnade bewisen / vnd zu solcher her-
ligkeit erhöhet hat / Vnd lasset vnns
solche gnade teglich verkündē / auff das
wir durch diese Exempel lernen / vnns
gleicher

CAVTE LOQVENDI.

gleicher gnade vnnnd hülffe zu vnserm
trewen Gott zu versehen/ vnd das wir
dadurch gereyht werde/ Gott mit ernst
zu bitten/ das er vns armen sündern/
die noch mit dē fleysch kempffen/ auch
wölle einen solchen festen glauben/ lie-
be vnd hoffnung geben/ wie die lieben
Heiligen hie zeitlich gehabt habē/ auff
das wir auch also mügen durch Chri-
stum vnser eygen sündigs fleysch/ die
Welt vnd den bösen geist vberwinden/
vnnnd zu den lieben Heiligen kommen/
das ist auch gewißlich ihr herzlich seh-
nen/ denn sie haben vns lieb/ vnd freu-
wen sich vnser frömitkeit vñ seligkēyt.

QVOMODO CAVTE DE
Imaginibus loquendum.

S Criptura Leui. 26. prohibet fieri imagines, Sed
addit notanter, ut adoremus eas. Tales igitur
imagines in Ecclesia haberi non debent, ut ado-
rentur. Sed imagines Christi, beatæ uirginis, Patri-
archarum, Apostolorum &c. memoriale licite habentur.

E 9

FORMVLAE

si possunt, Ad hoc enim profunt, ut nos moneant, ut dum intueor imaginem crucifixi aut Christi resurgētis, statim reuocantur mihi in memoriā saluifica mors Christi & gloriosa eius resurrectio, quarum rerum memoria certe & utilis est & necessaria. Sic enim Gregorius scripsit Massiliensi Episcopo, Quod legentibus est scriptura, hoc idiotis praestat pictura. Nullum igitur mandatum est in nouo Testamento de imaginibus tollendis, sed eis uti possumus ex libertate Christiana, tantum caueatur abusus Nam si alicubi esset imago, ad quam rude & superstitiosum uulgus accederet & eam ueneraretur, & apud eam auxilium quereret, hanc debet certe Magistratus eius loci tollere, ne idolatria committatur. Exemplo Ezechiae regis, qui aeneum serpentem à Mose factum, confregit tandem propter abusum, quia populus stolidus coeperat ei diuinos honores impendere, & eum adorare. 4. Reg. 18.

QUOMODO DE SEPULTURA caute loquendum.

Articulus nostrae fidei praecipuus docet, hanc eandem carnem quam nunc gestamus, in nouissimo die glorificandam & resurrecturam esse in uitam aeternam. Sicut enim Christus resurrexit, & ultra non morietur, ita Christiani omnes resurgere

CAVTE LOQVENDI.

surgere habent cum corporibus suis, inquit Athanasius in Symbolo. Quare sepultura est à Christianis religiose tractanda propter infallibilem spem nostræ resurrectionis. Funera sunt à pijs deducenda usq; ad sepulchrum, & cum corpus sepelitur, debet Pastor aut uerbi Minister breui concione consolari populum, ut primo recordetur, nos omnes in Adam esse mortuos & damnabiles. Deinde rursus nos omnes in Christo uiuificari, qui omnia restituit, quæ prius Adam corrupit & perdidit. Ipse enim mortuus est propter peccatâ nostrâ, quæ oïa ipse sua morte expiauit & nostram mortem aboleuit, Et factus est omnibus Christi fidelibus Resurrectio & Vita, qui credit in eum, etiamsi mortuus fuerit, uiuet, Et omnis qui uiuit & credit in eum non morietur in æternum, Ioan. 11. Corpora nostra membra sunt Christi, Sicut igitur Deus suscitauit Christum dominum & caput nostrum, Ita & nos suscitabit per potentiam suam. 1. Corinth. 6. hic tractet concionator locû illi. 1. Thess. 4. Nolo uos ignorare fraïres, usq; ad finē, uel aliquē locû ex 15. cap. primæ ad Corinthios, de gloriosa resurrectione Christi & Christianorû, ut articulus ille, Credo huius carnis resurrectionē. firmiter imprimatur cordibus hominû, & fides resurrectionis cōfirmetur et exerceatur. Recte enim Ambrosius ait super Episto. 1. Cor. 15. ca. Omnis spes credentium in hoc sita est, q; mortui resurgent.

FORMVLAE

1. Corinth. 15. cap. Omnis spes credentium in hoc sita est, quod mortui resurgent.

Hæc cærimonia honestæ sepulturæ semper fuit in Synagoga & in Ecclesia, & est testimonium nostræ fidei, quod credimus resurrectionem carnis, Et nostræ charitatis erga proximos defunctos, quos credimus non esse amissos, sed tantum præmissos, non dubitantes, nos in die Domini omnes amicos nostros rursus uiuros & mansuros simul cum Christo in æternum.

Erat certe in ueteri Testamento horribilis pœna, priuari sepultura, & cadauer proijci sine honore, ut uidemus. 3. Reg. 13. 4. Reg. 9. Iere. 8. 14. 16. 19. 22. 34. 36. Ezech. 39. Pater noster Abraham nonne Saram suam sepeliuit in Hebron honorifice, qui locus sepulturæ Patriarcharum deinceps erat, Gene. 23. 26. Similia lege de alijs patribus Gene. 35. 37. 38. 47. 49. 50.

Nonne filius uiduæ cum honore efferebatur extra Nain, Luc. 7. Lazarus honorifice sepultus erat in Bethania.

Sæpe in sepulturis inculcentur populo uerba hæc consolatoria uel similia,

Psal. 71. Preciosus erit sanguis eorum in oculis ipsius, & loquitur de Christianis, quorum sanguis Deo curæ est.


CAVTE LOQVENDI.

Et Psal. 115. Preciosa in conspectu Domini mors
sanctorum eius. Non autem esset preciosa, si corpus al
tera pars hominis non resurgeret.

1. Corinth. 15. Corpus seminatur, sepelitur in ter
ram instar seminis, in corruptione, in ignominia,
in infirmitate, sed resurget in incorruptibilitate, glo
ria & potentia.

Obsecro uos fratres per Christū primitias resur
gentium, ut ad uerbum ediscatis 15 cap. primæ ad
Corinth. ut apud morientes & in sepulturis
semper ex eo consolationem in prom
ptu habeatis. Det uobis Domi
nus in omnibus intelle
ctum, Amen.

FRANCOVRTI EX OF
ficina Petri Brubachij, Anno
M. D. XLIIII.





Cl 2845

ULB Halle

3

004 588 800



f

Sb.

Cl 2845

mc.





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
 Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13 *B.I.G.*
 Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black